



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

Quomodo sint honorandi Sancti 41

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

Prima Quæstio.

Quomodo sint honorandi Sancti.

CAPYT XLI.



QUOD Sancti, qui sanè mortui non sunt, sed apud Dominum viuunt, honorandi sint, de eo inter nos conuenit. Quomodo autem, & quibus rebus venerandi sint, id in controuersia positum est. Iam verò constat, cùm honor siue veneratio sit demonstratio singulariter bonæ, amâ- tis, & reuerentis voluntatis, necesse est, vt qui verè aliquè honorare vult, summam diligentiam adhibeat, tale quid illi præstandi, quod imprimis & gratû & acceptum fore speret. Quamobrè qui magnis dominis vel aliis hominibus honorem deferre cupiunt, primum omniû diligèter inquirunt, quibus rebus illi singulariter delectètur & gaudeat.

Porrò nemini dubium esse potest, sanctis nihil omnino gratum aut iucundum esse, nisi quod verè & efficaciter eò confert, vt nomen Dei magis sanctificetur, & regnum eius dilatetur. Semper autem id eis gratissimum esse, quod ad hanc rem quàm maximè confert. Quamobrem eo tantum venerari sanctos necesse est, idque in honorem ac placitum eorum faciendum, quod ad hunc finem efficaciter tendit, vt Christus Dominus magis cognoscatur & magnificetur, quod fidem in eum & charitatem erga proximum cum omni obedientia mandatorum illius apud nos prouehere potest.

Et hoc est vera dona Dei Sanctis ab ipso concessa, seridè ad gloriam Christi, & ædificationem fidei inter homines solemniter commemorare & prædicare, fidemque & bona eorum opera imitari.

Qui enim in veritate sunt, mendacium oderunt. Hoc ipsum sancti cū adhuc versarètur in terris, summo studio quæsierunt, omnia eò direxerunt, denique & sanguinem suum propterea effuderunt. Multò magis iam, cum apud Christum viuant, nihil aliud pro amore erga se vel honore agnoscent & accipient. Hanc venerationem sanctorum docet S. Scriptura, quæ ad gloriam gratiæ Dei, excellentia dona sanctis à Deo concessa, ac fidem eorum magnis laudibus extollit. Contra hanc multū graues & horrendi abusus inualuerunt. Primum, quod multa fabulosa figmenta de sanctis & eorum reliquiis proponuntur, veræ autem historiæ supprimuntur. Alterum est quod plerique merita sanctorum apud Deum magis quàm gratiã Dei ipsis exhibitam extollunt. Tertius, quod multi per celebrationè sanctorum non ædificationem fidei, sed temporale lucrum & vtilitatem suã quærunt, imò mercaturam quasi & nundinationem cum sanctis exercent. Quartus, Quod plurimi in reliquias & imagines sanctorum, eo prætextu, vt ipsis honorem deferant, multas inutiles expensas faciunt, contra id quod Sancti iuxta mandatū Domini, & Sermone & exèplis docuerunt, vt supra indicatū est in articulo de bonis operibus. Illi enim corpori & sanguini Domini aurum & argentū detraxerunt, & in vsum egentium membrorum Christi erogarunt.

Iam

Iam liber Reformationis nil nisi hos manifestos abusus reſecit, ac veram Diuorum venerationem docuit, qualem S. ſcriptura, & etiam antiqui Patres præſcribunt. Quare quò ad hanc primam quæſtionem nemo quicquam habet, cuius librum Reformationis accuſet.

Secunda quæſtio.

De meritis Sanctorum.

CAP. XLII.



E altera quæſtione, ſiquidem veritatem Chriſti & verbum ipſius ſequi ſtatutum ſit, ſic ſe res habet. Benigniſſi ac clementiſſi. Deus ad declarandũ, quanto amore ſuos complectatur, atque nos magis ad ſe alliciat & inuitet, de ſeipſo teſtatur, quod propter ſuos aliis quoque benefaciat, ac benefacere velit vnde illa eſt promiſſio in principium decalogi, *benefaciens in mille generationes his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* Exod. 20. Simile eſt id quod Deus dicebat ad Isaac, nempe quod confirmaturus eſſet fœdus, quod iurauerat Abraham patri eius, ſemẽnque illius multiplicaturus licet ſtellas cœli, & traditurus illi terram Canaan, denique quòd omnes familię terrę eſſent benedicẽdę in ſemine ipſius, propterea quod Abraham obtemperafſet voci ſuę, & obſeruafſet mandata ſua, ceremonias & ſtatuta, Genef. 26. Sic & ipſi Abrahamo eadem hæc omnia pollicetur, cum iſta adiectione, *Eò quòd obtemperafſi voci meę.* Genef. 22. Et de rege Abia teſtatur ſcriptura 1. Reg. 15. *Quòd Deus dederit ei lacernam in Hieruſalem, & excitauerit ipſi ſemen in Hieruſalem, eò quòd feciſſet Dauid id quod placebat Domino, &c.* Similis locus eſt Eſaię 37. quem Aduerſarij adduxerunt. *protegam ciuitatem hanc propter me & Dauid ſeruum meum.* Et alia quàm plurima loca.

Ex quibus clarum eſt, quod Dominus eximium amorem ſuum, quo fideles ſuos proſequitur, etiam in iis declaret, qui ad ſanctos pertinent, quòdque in his fidem & obedientiam illorum præclare remuneret. Verum igitur eſt, nos fauore & benevolentia Dei, quam erga ſanctos ſuos habet, ampliſſimè frui. Omnes qui cum D. Paulo nauigabant, quorum erant ducenta & ſeptuagintaquinque animæ, donabantur Paulo à Domino, ne per naufragium perirent. Act. 27. Illi ſanè propter D. Paulum, quem tamen captiuum ducebant, maximã vtilitatem perceperunt. Ita & ſocrus Petri, genero ſuo Petro & reliquis Apoſtolis fruebatur: Dominus enim ad preces illorum ipſam febri liberabat.

Verũ propterea velle dicere, quòd fruamur meritis Sanctorum, id nec ſcripturę conſentaneum eſt, & fidei nimis derogare videtur. Sic enim loquendo minima cauſa beneficiorum Dei commemoratur, vera autem & primaria cauſa, nempe benignitas & gratuita dilectio Dei, nullis operibus noſtris pro merita, vna cum pretioſo merito Domini noſtri Ieſu Chriſti ſubticetur. Imò talis cauſa commemoratur, quæ ex ſeipſa cauſa non eſt, ſed tantũ ex infinita bonitate, miſericordia ac dilectione Dei pro cauſa accipitur. Nulli enim vnquã tã ſancti fuerunt, aut in obedientia Dei & bonis operibus tam longè progreſſi, vt obedi-